



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 19. Utriusque Nuntii discessus, & Commendoni iter in Germaniam inferiorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

§. XVIII.

Conventus Naumburgensis exitus.

Sæcul XVI.
A.C. 1561.

His actis Conventus die vigesima septima Februarii solutus est, edito ibidem decreto, quo sancitum, ut omnes Confessionem Augustanam amplectantur juxta explicationes, quæ magis fervire videbuntur ad hoc, ut illa communis reddatur omnibus iis, qui ab illa deviarunt: quam in rem rursus Erfordiæ proxima die vigesima secunda Aprilis Conventum celebrare statuerunt. Attamen hæc doctrinæ unio, quam affectabant, suo caruit successu.

*Pallav. l. 15.
c. 4. n. 1.*

§. XIX.

Utriusque Nuntii discessus, & Commendoni iter in Germaniam inferiorem.

Itaque ambo Nuntii Delphinus, & Commendonus Naumburgo profecti ad Provincias, quas peragrare iussi erant, contendebant, prius vero Pontificem certiore reddebant de agendi ratione, qua in præfata urbe a Protestantibus habebantur: eapropter illorum constantia plurimum Romæ fuit deprædicata, ac Commendonus præprimis ex eo laudatus, quod Germanorum, qui Ecclesiæ Romanæ cum tanta arrogantia insultabant, petulantiam represserit. E-

*Pallav. l. 6.
Gratian.
l. 2. c. 4.*

Sæc. XVI.
A C. 1561.

quidem hic idem Præful inferiorem Germaniam lustrare jussus a Vinariensi urbe, ad quam Joannes Fridericus Saxo secesserat, initium sumere, huncque Ducem officiosa salutatione honorare decreverat, verum a quodam hujus Principis Consiliario edoctus, quod ipse Dominus, cum nullum cum Papa commercium habere vellet, eum audire recusaturus esset, hinc recta ad Brandenburgensem Ducatum pergere statuit, Joachimum S. R. I. Electorem visurus: porro cum Commendonus Saxoniam pertransire cogeretur, ab Electore Augusto publicæ securitatis literas omnino honorificas impetrabat, ac insuper hic idem Princeps multis excusabat responsum, quod Papæ Nuntiis contra suam voluntatem, ac sententiam Naumburgi fuisset datum: postea vero eidem Commendono tradit literas, quibus urbium, quas peragraturus esset, Magistratus illum perhonorifice excipere, eumque usque ad Brandenburgici Electoratus fines valido præsidio comitari jubebantur: itaque Nuntius Lipsiam, & Hallam pertransiit, spe concepta, quod Magdeburgensem Archiepiscopum Joachimi Electoris Filium in itinere visurus esset: cum vero hic Præful domo sua absens esset, promotio Berolinum versus itinere ibidem omni honorum genere

genere ab Electore Brandenburgico ex-
cipiebatur.

Sæc. XVI.
A.C. 1561.

§. XX.

*Commendonus Berolinum delatus,
ibidemque Electori Brandebur-
gico collocutus.*

Hic idem Princeps, quamvis Anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo nono Protestantium sectam in suas ditiones invexisset, præ ceteris tamen omnibus magis propensum ad Ecclesiæ sinum revertendi animum exhibebat; semper enim multos ritus, ac Ecclesiæ Romanæ consuetudines fartas adhuc conservabat: itaque Joachimus vix comperto Nuntii adventu quanto- cius ex suis præcipuis Consiliariis duos eidem obvios misit, qui Nuntium Electoris nomine salutarent, eumque altera die ad prandium invitarent: cum vero Nuntio esset relatum, quod Elector eidem ante convivii horam colloqui, ac præsentibus quibusdam suis Theologis unioni adversantibus sua responsa dare percuperet, hinc Commendonus studiose tempus, quod prandio destinatum erat, non præveniebat, animo tamen suo constituens, quod durante convivio quædam verba de Religione inspergere vellet, exinde melius Electoris animum

*Gratian. l. c.
Pallav. c. 4.
n. 2.
Epist. Com-
mend. ad Be-
rom. Card.
15. Febr.*